



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CDXXXI. Ablassbrief des Brandenburger Bischof Stephan Bodecker, für die heil. Leichnamsgilde in der Neustadt, vom 13. September 1422.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CDXXXI. Ablassbrief des Brandenburger Bischof Stephan Bodeket, für die heil. Leichnamsgilde in der Neustadt, vom 13. September 1422.

Stephanus, miseratione divina episcopus Brandenburgensis, universis et singulis Christi fidelibus, ad quos presentes litere nostre pervenerint, salutem in domino sempiternam et infra scriptorum habere notitiam ac fidem adhibere creditivam. Quia, ut accepimus, discreti nobis sincere dilecti magistri sive seniores ac ceteri fratres et sorores Gulde seu congregationis corporis Christi in nova civitate Brandenburg cupientes predecessorum eorum, propriarum ac suorum successorum animarum salutis salubriter intendere volentesque ut orthodoxa et catholica fides ipsorum temporibus exaltetur et divinus cultus augmentetur, devotusque fidelis populus devotior efficiatur, qualibet quinta feria cujuslibet hebdomade ad altare, in honore pretiosi corporis et sanguinis domini nostri Jhesu Christi consecratum in ecclesia parrochiali dicte nove civitatis pie ordinaverunt et procuraverunt solempniter per presbiterum ad hoc sufficienter dotatum cum tribus vel quatuor eum juvantibus cantari missam de pretiosissimo corpore et sanguine domini nostri Jhesu Christi, et ut ad hanc missam duntaxat ipsum vivificum corpus ejusdem domini nostri Jhesu Christi solempniter campanis et candelis previis deportetur et per totam missam ibi stare permittatur. Quare supra dicti seniores sive magistri ipsius gulde totius congregationis nomine debita cum instantia nos requisiverunt et a nobis postulaverunt, quatenus hujusmodi ipsorum pium et devotum affectum etiam per predecessores nostros, episcopos Brandenburgenses ratificatum, approbatum et confirmatum et nos auctoritate nostra ordinaria approbare et confirmare dignaremur: nos ipsorum petitionibus ac requisitionibus tanquam devotis merito annuentes predictam procuracionem et ordinationem, videlicet ipsius misse decantationem ac corporis Christi positionem, dummodo enim aliqua alia canonica non obviant instituta, approbamus, ratificamus, grata, rata et approbata habentes eaque auctoritate nostra ordinaria dei nomine in his scriptis confirmamus, omnibus etiam vere penitentibus, confessis et contritis, qui supradictam missam audierint aut de bonis sibi a deo collatis pro comparandis et reformandis luminibus, ornamentis et ceteris in et pro dicta missa necessariis elemosynas suas tribuerint seu alio quomodolibet ad hoc manus porrexerint adjutrices, de omnipotentis dei misericordia atque beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, atque nostra auctoritate consili quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis penitentis misericorditer in domino relaxamus. Ceterum si qui reverendorum patrum dominorum archiepiscoporum seu episcoporum orthodoxe fidei ad prefatam missam seu reliquias ad eam deferri consuetas suas indulgentias largiti sunt aut in antea duxerint largiendas, exnunc easdem ratificamus et approbamus per presentes literas, quibus sigillum nostrum demandato nostro speciali est appensum testimonio literarum. Datum in castro nostro Sejeser anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo secundo dominica die infra octavas beatissime dei genitricis virginis Marie.

Nach dem Originale.

CDXXXII. Der Bischof Stephan verpfändet dem Domcapitel einige Gefälle für ihm geliebtes Silberzeug, am 13. Jan. 1424.

Wy Stephan von Godes Gnaden, Bischof tu Brandenburg bekennen etc. dat wy met wolbedachten Mude und Fulbord unser liven andechtigen Ern Wolters Proftes, Er Johan-